

CHRISTI
449.LEONIS PAP.
10.THEOD. 42. IMPP.
VALENTIN. 25.

strum Jesum Christum ante secula quidem ex Deo Patre sine principio natum secundum divinitatem, in Novissimis autem diebus eundem propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine secundum humanitatem. Ex duabus itaque naturis consientes Christum post incarnationem ex sancta Virgine & humanatum in una subsistentia *, & in una persona unum Christum, unum Filium, unum Deum confitemur; & unam quidem Dei Verbi naturam incarnatam tantum & humanatam dicere non negamus; eo quod ex ambabus unus atque idem sit Dominus noster Jesus Christus. Eos vero, qui aut duos Filios, aut duas subsistentias, aut duas personas annuntiant, & unum eundemque Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei vixi predicant, anathematizamus, & alienos esse ab Ecclesia judicamus. Et ante omnia Nestorium impium anathematizamus, & sapientes ea quae ejus sunt, & loquentes ea: Abscindantur huiusmodi a filiorum adoptione promissa recte credentibus. Et subscriptio: Domine Jesu Christe adjuva nos. Et iterum: Haec scripti manu mea ad satisfactionem vestrae potestatis, ut confundantur calumniam facientes nostrae simplici conversationi. Hactenus professio Flaviani ab Imperatore ea de causa exacta, quod Eutiches & sentientes cum eo ipsum calumniati essent eadem sapere cum Nestorio, & sub duarum naturarum in Filii Dei confessione duas pariter subintroducere velles personas: ob id enim in hac sua professione Flavianus multus fuit in damnando Nestorio. Quae autem post haec acta sint, ita subdit Liberatus Diaconus (a):

(a) Liberat. Diac. lib. 2.

XXI.

* Agebat.

Postquam ergo nihil probatum est Notariis de falsitate Gestorum: Eutiches petit Dioscorum Alexandrinum Episcopum, ut quareret quae de illo acta sunt. Urgebat * apud Principem, universale fieri Concilium, ut improbaretur Concilium Flaviani. Scri-

psit ergo Dioscorus Theodosio Imperatori, quia aliam fieri Synodum oportet, & quod ut fieret, persuasit Eutiches. Annuvit Imperator. Haec autem omnia molitione esse facta Chrysaphii, Nicephorus tradit his verbis (b): Porro ubi illa Acta & decreta legitima esse, auctoritate sua comprobaverunt: Chrysaphius eunuchus, qui idem cum Eutichete sentiebat, cum contumeliam ferre nequirit, iram suam adversus Flavianum maxime auxit; & Dioscuro Alexandrino, impio illi indicavit, se illi in rebus quae placitae essent gratificaturum omnibus, si Eutichetem periclitantem defenderet, Flavianum autem & Eusebium Dorileum oppugnet. Eodem modo Eudociam Augustam excitavit, cum multa alia, tum ea potissimum dicendo quae ei a Pulcheria acerba accidissent.

(b) Niceph. li. 14. c. 47.

XXII.

His igitur ita dispositis, ad Kalendas Augusti indicitur Synodus Ephesi: Dirigenisque (inquit Liberatus c) Imperator Sacram Dioscuro in Alexandriam, praecipit ut decem Metropolitanos Episcopos, quos voluisset, ipse eligeret, & veniret Ephesum, & congregato Concilio, Eutichetis causam discuteret; jubens Barsuman Archimandritam interesse, & vices agere omnium monachorum Orientales Episcopos accusantium: Theodoretum vero Cyri Episcopum adesse Concilio interdixit, & in sua Civitate permanere eum iussit. Jam enim Iban Edessenum Episcopum, ne Synodo adesset, per illum filium suum, quem dixi, Chrysaphium, in multas mansiones Eutiches relegarat exilio. Haec de indicia Synodo Liberatus. Cum autem ista de Oecumenico celebrando Concilio ore multo iactari coepissent, haecque litteris Domini Episcopi Antiocheni Theodoretus Cyri Episcopus accepisset: existimans ista curari per Dioscorum Alexandrinum Episcopum quem patiebatur adversarium, quo futurae Synodi Oecumenicae decreto duode-

(c) Liberat. c. 12. Indicitur Synodus Ephesi in causa Eutychetis.

PAGIUS

VIII. Theodoretus anxius de successu futurae Synodi.

IX. Praesides Pseudo-Synodi Ephesinae.

A. num. XXII. ad LXXVII. Evocatoria Pseudo-Synodi Ephesinae data est III. Kalend. Aprilis, ut ad Kalendas Augusti inciperetur: Eius indicatione audita Theodoretus, qui credebatur Imperatorem consilium de ea celebranda deposuisse, ex quo reconciliatus fuerat cum Flaviano, scripsit Epistolam CXII. ad Dominum Antiochia Episcopum, a Baronio num. XXII. recitatam, in qua suam de capitibus S. Cyrilli sibi non probatis pertinaciam ostendit. Ex ea Epistola liquet, quanta tunc temporis Orientalium Episcoporum dissensio fuerit, aliis pro Cyrillo stantibus, aliis contra eum.

Cum Sanctus Leo Theodosium a cogendo Concilio avocare non potuisset, misit qui suas vices gererent: Ad omnem vero causam pie ac fideliter exequendam fratres nostros Julium Episcopum & Renatum Presbyterum tituli Sancti Clementis, sed & filium meum Hilarum Diaconem ruce nostra direximus, quibus Dulcimum Notarium nostrum, cuius fides nobis est probata,

sociavimus, inquit Leo in Epistola XXIV. ad Flavianum, quae alias erat X. data Idibus Junii, & recitata a Baronio num. XLV. & seqq. Celebratissima haec Epistola olim integra in Ecclesia Romana tempore Adventus legebatur, quod etiam in Ecclesiis Galliarum factitatum esse eruit Quessnellus citatus ex MS. Codice Bibliothecae Regiae. Legati illi fuere Julius Episcopus Puteolanus & Hilarus Archidiaconus. Renatus vero Presbyter, qui cum illis missus fuerat, in Delo insula morte praeventus est, ut testatur Auctor Brevevili Eutychnitarum: Interfuerunt etiam Vicarii ab Apostolica Sede directi, Julius Puteolanus Episcopus, Hilarus Archidiaconus, quia Presbyter Renatus in Delo insula morte praeventus est. Baronius num. XXXVII. Julium vocat Julianum Episcopum Puteolanum, eamque in rem laudat Marianum Scotum in Chronico. Verum in hodiernis Codicibus huius Chronographi, non Julianus, sed Julius legitur, eamque lectionem confirmant MSS. Codices.